

seu erectione unaquaeque parochia pertinebat ad suum conventum a quo fundata erat. Conventus in se assumebat omnia onera et jura in parochiam quoad temporalia et spiritualia. Superior regularis semper ad singulas parochias e gremio religionis nominabat et episcopo praesentabat suos religiosos. Hic habebat jus et officium eos ad normas juris de idoneitate examinare, idoneos repertos approbare et instituere; secus, in casu defectus idoneitatis, reprobare, propter quod superiori onus incumbebat alium idoneum providere et praesentare. Sic institutus parochus ad normas juris communis erat subjectus jurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi in rebus concernentibus curam animarum et sacramentorum administrationem. In disciplina autem regulari privative suo superiori regulari parebat, qui etiam in diligens exercitium curae pastoralis vigilantiam ducebat, cumulative cum episcopo in transgressores animadvertibat. Hujusmodi parochi omnes erant amovibiles ad nutum utriusque auctoritatis, episcopi videlicet et superioris regularis.

Omnia bona quae parochi recipiebant (necessaria sustentatione dempta), quaeque quasi exclusive ex annuis praestationibus consuetudine introductis consistebant, respectivo conventui transmittere obligati erant. Hac subventionem sustentabatur conventus et omnes religiosi, necnon aliis necessitatibus conventus quibuscumque inserviebant, sicque illae parochiae erant vere et realiter de mensa conventus. Singuli conventus habebant et proprios fundos in diversis parochiis, qui sub dependentia guardiani regebantur. Existebant in Bosna v. gr. inde a medio saeculo XVIII sic dictae capsae parochiales pro utensilibus et vestimentis ecclesiasticis in parochiis comparandis et reparandis. Istae erant subjectae visitationi et revisioni episcopi, quia oblationes in illis consideratae erant ut intuitu parochiae qua talis datae. Quoad alia vero omnia episcopus non se intromittebat. — Profecto igitur evidens est parochias franciscanas in croaticis regionibus, prout ipsas decursu tractationis descripsimus ad fidem documentorum, pleno jure unitas esse respectivis eorum conventibus.

Id ergo quod in prioribus capitibus historia duce demonstravimus, nunc juridica quoque consideratione confir-